UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam insignium memoriam in menses diesque ...

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

VII. Die Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

Visual Library

VII. DIE MARTII.

P. FERDINANDVS GARZIA.

7. Mar. Hiſpanus Carauacę. 1579. Soc 10.

ADoleſcens prętanti ingenio cùm eſſet, eò illud intendebat, & Deum toto biennio ſupplex precabatur, vt in eo ſe vitæ ſtatu collocaret, in quo maximè ſeruire poſſet diuinæ illi Maieſtati. In Societate ſine modo aſpera quæque corporis cruciamenta ſuſcepit, non aliud quàm contemni, & pati optans. Indos deſiderio proſequebatur, vt ibi ærumnarum theſauros inueniret, ſed inuenit illos in morbo quatuor annorum; quâ temporis intercapedine diri capitis, cordiſque dolores illum detinuêre lecto ſemper affixum patientiâ tantis tormentis non pari ſolùm, verùm tenero, ac ſuauis erga Deum fiduciæ pleno gaudio cumulatâ; ne tum quidem quicquam, quod palato vel cuicunque ſenſui adhiberet admittens. Vnde cùm illi ceu iam depoſito, medicus iuberet permitti quicquid vellet, rogatus vt peteret id, quod iucundum ſibi futurum exiſtimaret, non ſine ſtomacho, & horrore ita reſpondit: Egone, Deus bone, id petam quod iucundum futurum ſit? Id erit optatiſſimum quod dederitis. Aiebat: dum querelas arceo, incredibili cordis pace gaudeo; ſed illâ ſtatim deſtituor, cùm mihi quidpiam deeſſe perſuadeo. *Patientia.* Quare totus erat in adoranda voluntate Dei. Mori cùm optaret impenſiùs, & eſſe cum Chriſto, hoc ipſum ſuum deſideriū metuebat ne quid ſordium traheret ab amore proprio, tyranno animarū noſtrarum domeſtico. Die 4. Mar. prædixit ſe ab hinc quatriduo moriturum die S. Thomę Doctoris Angelici: per quos dies aiebat ſibi cor à Deo tâtâ ſuauitate dilatatum, quantam in omni vita expertus ſit nunquam. MARIA DIAZ, magnâ virtute celebris fœmina (inquit Societatis hiſtoria in hunc annum) octauo poſt die viſum eum ſibi affirmauit cum corona in capite ſolis inſtar micante: *Viſus cum corona.* illa nempe Maria, quæ Ferdinandi mortem quarto ante mense ex vero prædixerat.

M. ELIAS NITSCH.

HVnc è Styria ortum, virtutis, & eruditionis bono conſpicuum laudant annuæ Collegij Viennenſis in Auſtria. *Germanus Viennæ. 1599.* Integro ante mortem menſe chirographo manu ſuâ conſcripto conſignauit quo die eſſet moriturus. *Mors præuiſa.* Septimâ enim Feb. die per quietem vidit à P. Nicolao Limburgio nuper extincto, arrepto brachio ſe trahi; moneriq; in hæc omninò verba: *Menſe ab hinc me ſequeris*: *Menſis vltimus.* quibus verbis Elias nihil reſpondit; niſi vt otium ſibi concederetur quo poſſet ſuas culpas eluere. Atque hoc agentem, ac Martio ineunte ad accipiendam pro more S. Menſtrui ſchedam, atque ſententiam, cum alijs accedentem, *S Menſtruum* ille quoque ſanctus quem accepit tacitè commonefacere viſus eſt. Etenim in ea ſortitione illi obtigit S. Thomas Aquinas, nempe menſtruo à monitione interuallo in diem 7. Mar. incidens, qui dies illi erat futurus mortualis: quæ ipſa conduplicata videri poterat monitio ad mortem præparatò expectandam; maximè cum illa etiam quæ cum ſancto veniebat ſententia de morte